

† R. P. Ioannes. B. Kronenburg (1853-1940)

(Prov. Holl.) (I)



Die 11 Ian. 1940 beata morte venerationi et amori nostro ereptus est P. J. B. Kronenburg, cuius nomen celebre est in universa Congregatione. Cupiens dissolvi mortuus est in senectute bona 87 annorum. Vixit in Congregatione 67 annos, spatium satis diuturnum, ut laboris sui fructus oculis propriis conspiciere potuerit, et alter velut patriarcha filios videre filiorum suorum in tertia et quarta generatione. Per amplius 30 annos spem Provinciae — iuventutem nostram studiosam — spiritu Congregationis imbuit; per 30 annos Superior sive Provinciae, sive parti eiusdem laudabiliter praefuit. Qua

scriptor nomen periti hagiographi in tota Neerlandia adeptus est. Missionibus proprie dictis raro quidem interfuit; non defectu dotum utique, quae oratorem sacrum faciunt, sed munerum et infirmae valetudinis ob causam; eo tamen magis indirecte contulit, missionariis nostris novos operationis campos aperiendo.

Ioannes B. Kronenburg die 22 Septembris 1853 natus est in Zutphen, civitate Gelriae quae ad archidioecesim Ultraiectensem pertinet. In Seminario Culenburgensi, ubi a Patribus Iesuitis tam virtutibus quam humanioribus disciplinis egregie excolebatur, primum supernam vocationem ad statum religiosum in nostra Congregatione expertus est, eamque firmavit subsequenti visitatione domus nostrae Amstelodamensis, ubi stricta silentii religiosi observantia salutarem in eo impressionem reliquit. Hinc die 9 Maii 1872 novitiatum Ruremundensem ingressus, post rigidum sub Magistro P. Th. Langerwerf tirocinium, die 16 Iulii 1873 vota in Congregatione emisit. Quanto in Congregationem amore iam tunc cor eius ferbuerit, inde videre licet, quod adolescentem in vocatione titubantem in sancto proposito ita confortavit, ut in Congregatione ad mortem usque perseveraverit. Hic adolescens non alius erat quam Gulielmus van Rossum, professor 16 Iun. 1874, futurus Cardinalis, quem hoc modo Instituto servavit (2).

(1) Hoc necrologium tardius apparet, quia a. 1940 saeviebat bellum et *Analecta* suscipi coepta sunt.

(2) Hoc loco referre iuvat pulchra verba quae postea (15.9.1929) Em. Cardinalis de Congregatione edixit: « Soli Deo honor et gloria, qui me fecerit sacerdotem, Cardinalem, « Episcopum, Praefectum S. C. de Propaganda Fide. At omnium mihi gratissimum manet

Post professionem Wittemium missus est, ut studia maiora obsolveret. Verum, cum pedetentim aegrotare coepisset, cursu philosophico absoluto a Superioribus Ruremundam translatus est, ut in iuvenatu nostro Lectorem ageret; quod cum optime faceret, duobus annis postea, sacerdotio interim auctus, ibidem Socius cum amplissimis facultatibus Prefecto adiunctus est; anno vero 1884 ipse *Praefecti* titulo insignitus, qui titulus anno 1887 in *Directoris* mutatus est. Qualis vero Director P. Kr. fuerit, ipsa facta loquuntur, fuit enim peritus paedagogus, qui puerorum fiduciam sibi conciliare, iuvenilem indolem perspectam habere moresque molles cerae ad instar fingere noverat; — studiorum moderator, qui praesentia sola soloque oculorum ictu silentium accuratissimamque statutorum observantiam imponere valebat; — iuventutis amicus, qui in recreatione, tiro- num corona circumdatus, tamquam bonus paterfamilias modo sedens « *celsi sub roboris umbra* », modo ludorum puerilium particeps, S. Philippi Neri imaginem referens, de thesauro suo *nova* proferebat *et vetera*; — genuinus Patris Alfonsi filius, qui sermone et exemplo spiritum Congregationis, quo ipse plenus erat, puerorum animis infundere curabat; — devotissimus demum sacerdos, qui pietate qua quotidie S. Sacrificium coram alumnis offerre consueverat, et meditatione paterna quam omni mane ad ipsos habebat, non academiam tantum scientiarum, sed scholam etiam pietatis et virtutis iuvenatum esse satagebat. Adde influxum quem Lector exercebat.

Patre Kr. duce iuvenatus centrum evasit, ubi praeter scientias pulchrae litterae florebant; ubi « *codex aureus* » et « *sessiones litterariae* », quibus nonnumquam etiam viri dignitate conspicui invitati intererant, certamini studentium stimulos dabant; unde etiam bona fama in finitimas Provincias percrebuit. Per 30 annos, quibus iuvenatui praefuit, centenos adolescentes formavit, quorum fere omnes sancto iam fine quieverunt; alii tamquam Superiores, Lectores, Missionarii, sive in patria sive in Missionibus exteris, Deo et Congregationi eximie servierunt; alii autem in mundum regressi, sive privati cives sive in publicis officiis constituti, optimas iuvenatus traditiones prosecuti sunt. Ipso auctore Seminarium rudimentale cum parva manu alumnorum, quale iuvenatus ante 70 annos erat, florens in ephebeum cum 70 et amplius alumnis excrevit. Et si hodie- dum Provincia nostra in monte Nebo splendido Seminario gloriatur, ubi haud minus 150 candidati ad sacerdotium praeparantur, et sub Directore spirituali cum peritorum 16 Lectorum manipulo, quorum plures etiam Doctoris titulo gaudent, optima tum scientifica tum spirituali formatione fruuntur; id sine Patris Kr. praevio labore ne cogitari quidem potest.

Anno 1893 humilis Director ad regimen domus Ruremundensis et 22.10.1894 ad totius Provinciae apicem evectus est, et eodem zelo quo hucusque iuvenibus

« illud, quod in S. Alfonsi familiam me perduxit. Equidem in vita religiosa pulchrius « nihil invenire possum quam Congregationem nostram. Eam semper amabo, pro ea semper vivam. Quotquot tituli honorifici mihi sunt, omnium pulcherrimus, omnium carissimus est filii Sancti Alfonsi titulus » (*Anal.* VIII, 342).

servoierat, nunc rebus Provinciae sublimioribus vires omnes impendit. Patre Franc. Ter Haar comite iter longinquum ad visitationem canonicam Missionis Surinamensis peragendam instituit. Huius occasione visitationis separationem Vicariatum inter et Missionem, quae causa iamdiu pendebat, ad effectum felicem perduxit. In patriam redux iterum omnem curam impendit in difficultatibus sedandis, quae post Capitulum generale anni 1894 in sinu Provinciae exortae erant. Mediis in procellis naviculam Provinciae leniter et fortiter gubernabat; haecque illius gloria aeterna erit, quod prudentiae moderationisque gubernii eius gratia nulla vocatio misere periit.

Interim anno 1894 Missio in Brasilia a S. Sede nobis concredita erat; et Patre Provinciali approbante, Ruremundae novum ampliusque Collegium pro iuvenistis exstructum est, ut auctis Provinciae laboribus, numerus quoque operariorum augetur. Affluentia vero iuvenum, qui Missiones exteras anhelabant, tanta erat, ut examen novum vetus superaret. Hinc spiritus iuvenatui proprius periclitabatur et manus fortis desiderabatur, quae traditionem pietatemque antiquam servaret. Quare P. Kr. a. 1898 ad iuvenatum revocatus est, in quo dirigendo iterum 15 annos perseveravit.

Anno 1909, cum Capitulum generale ad successorem Rev.mi P. M. Raus, eligendum convocatum esset, P. Lud. Wouters et P. Ioa. Kr. fiducia Provinciae Vocales electi sunt, comites P. Provincialis A. Beukers. In Capitulo tanta ei erat auctoritas ac tantopere in eo verum S. Alfonsi spiritum Patres Capitulares admirabantur, ut magna pars suffragiorum in ipsum concurrerent. Etsi non fuerit voluntas in coelo ut eligeretur, nova tamen aureola circumfusus in Provinciam rediit.

Anno demum 1915 denuo Rector Sanctuarii Ruremundensis nominatus est. Devotus Deiparae filius religioni sibi duxit cultum B.M.V. in Arena promovere. Ad devotionem peregrinantium alendam museum historicum aperuit, in quo omnia monumenta ad historiam Sanctuarii pertinentia conferrentur. Sanctuarium ipsum novis coloribus et picturis ornavit, et cum bello processiones in Germaniae Sanctuarium *Kevelaer* impedirentur, parochorum attentionem ad Sanctuarium patrium direxit; in quo feliciter successit.

De mandato R.mi P. Generalis Murray anno 1917 extraordinariam visitationem in Provincia Germaniae Inferioris habuit. Eodem anno Ruremundae ipso auctore nova methodus ad oves quae perierant ad ovile reducendas inaugurata est, *recessus dico populares*, de quibus plura infra dicentur in necrologio P. Antonii Rottier.

Rectoratum Ruremundensem excepit provincialatus 1918-1924. Inter memoralia huius pro Provincia nostra felicissimi regiminis facta primo loco memorandum est Capitulum generale anni 1921, ubi obtinuit ut opus recessuum popularium, de quo diximus, approbatione Patrum Capitularium muniretur. Aliud insuper opus expedit; iuvenatus nempe novo incremento indigebat. Iam Pro-

vincialis Germaniae Inferioris Collegium *Vaals*, quod iuvenistarum translatione in Germaniam (1920) evacuatum erat, aequo pretio venale obtulit, quod Pater Kr. libenter accepit, hoc effectu quod Patre Generali approbante 4 superiores classes Ruremunda in *Vaals* migrarunt. Postea confratribus in Missione Brasiliana praesentiae suae solacium afferre laboresque eorum cominus inspicere festinavit. Primo solacio addidit alterum, cum Romae obtinuit ut Missionariis liceret — quemadmodum apud alios Ordines Missionales passim usu venerat — continuam laborum instantiam decimo quoque anno interrumpere atque ad refocillandum animum viresque novas colligendas tantisper patrio aëre frui. Huc demum pertinet fundatio novae domus Exercitiorum in *Zenderen*, cuius utique consummatio ad posteriorem aeram pertinet. Quantarum aerumnarum haec fundatio seminariū fuerit, sub lemmate: « *Tantae molis erat* » alio loco exposuimus, ad quem locum lectorem benevolum remittimus (*Anal.* VII, 98).

At tempus est ut ad alia devertamus; nam, qui ad Congregationem regendam tam idoneus erat, idem oratoris et scriptoris sacri dotibus eminebat. P. Kr., quamquam non erat orator eo sensu quo haec vox usuvenit (quod vel gesticulatio ipsi deerat), neque se esse autumabat, volebat tamen esse et erat concionator sacer vere popularis, ad exemplum Patris sui S. Alfonsi, quem in omnibus imitari studebat. Hinc sermo eius simplex quidem et concisus (quippe quum, ut discipulis dicere solebat, oratorem sacrum ita loqui oporteat, ut rudis, templum intrans, materiam sermonis statim intelligat), attamen vividus, imaginibus plenus, fervidus et intima ex persuasione profectus; unde accidit, ut non solum plebeii, sed eruditi quoque miro modo allicerentur; immo nonnumquam, postquam cum aliis magni nominis oratoribus sermonem fecit, admirabundi exclamabant: « Modestus hic Redemptorista omnium optime dixit ».

Dotes scriptoris sacri ostendit in tot libris, qui a P. De Meulemeester accurate recensentur in sua *Bibliographie des Ecrivains Rédemptoristes*, t. II, pag. 235-238. Anno 1879 primus eius liber aparuit vitae Beati Gerardi dicatus; hic liber tempore, quo nomen Gerardi vix notum erat, cultum B. Thaumaturgi in Neerlandiam introduxit et plures editiones habuit. Eodem anno, occasione iubilaei argentei dogmatis Immaculatae Conceptionis, applaudent P. Provinciali Petro Oomen, cum P. Ios. Brouwer et praemature mortuo P. Gulielmo van Eindhoven periodicum *De Volksmissionaris* fundavit, cuius per 25 annos directionem tenuit, et quod post 75 annos etiamnum ad vulgatiōra patriae periodica pertinet. Articuli quos in eo publici iuris fecit de Sanctis Neerlandiae, a S. Servatio et S. Willibrordo usque ad S. Lidvinam Virginem Schiedamensem et Martyres Gorcumenseses saeculi XVI, item de cultu Mariano a primis religionis exordiis ad nostra usque tempora, semina fuerunt magnorum operum, quae famam eius tamquam Historiographi Sacri in Hollandia constituerunt. Agitur de *Neerlands Heiligen in vorige eeuwen* (9 vol.) et *Maria's Heerlijkheid in Nederland* (8 vol. c. registro).

Posterius opus libentissime composuit, velut grati animi censum ob sanationem a morbo lethali, quam B. mae Virginis intercessione anno 1883 obtinuerat. Huc accedunt vita S. P. N. Alfonsi, auctore Patre Berthe, et praesertim vita Ven. Petri Donders, quae a criticis optimum eius opus habetur et in 5 linguas europaeas translata est. Omnes isti libri stylo suo romantico alliciunt; materia vero scite elaborata eruditus placet; ita ut non minus quam 4 societates scientificae eum « *sodalem honoris causa* » elegerint. Regnum vere Neerlandicum eum « *Equitatem in ordine Oraniae Nassoviae* » nominavit. P. Kr. auctor fertilis erat et usque ad senectam calamo libenter utebatur. Fere octogenarius libellum exaravit *De Redemptoristen: wat ze zijn; wat ze doen?* Immo ad colligendas materias pro Historia Congregationis scribenda manus admoverat. Quodsi paucos anteriores scriptores (ut C. Scholten et M. van Eupen) excipias, P. Kr. primus a nostri fuit qui apostolatam calami abundantius exercuerit; antesignanus phalangis auctorum nostrorum hodie numerosae.

Notitiis hisce biographicis effigiem photographicam adiecimus. Qui viventem noverunt, notis oris lineamentis sinceram statim bonitatem recognoscent, quae peregrinos omnes uti fratres eiusdem Alfonsianae familiae complectebatur; paternum quoque affectum, quo subditis et sodalibus utcumque afflictis subveniebat, absentibus autem scripto consilium et solatium promittebat, dicens: « Scribite mihi; ne vereamini laborem meum interrumpere, ut fratribus meis respondeam; statim omnia alia relinquo ». Qui vero cum numquam noverunt, umbrae forte movebuntur quadam specie, quae certo maerore frontem oculosque obnubilat. Nec frustra; nam si teste S. Gregorio « *Probatio dilectionis exhibitio est operis, — validior vero probatio sustinentia passionis est* »; hanc ab eo Deus petiit. Passus nempe est in eo, quod ipsi maxime cordi erat, cum Romae in Provincialis munere praevaricationis accusaretur et Superioris Generalis (Deo sane permitte), bona fide accusationi aures praebentis, fiduciam sibi subtractam sentiret (Nov. 1898). Et quamquam non multum temporis interfuit, donec melius instructus Rector Maior in pristinum honorem et gratiam eum restituerit, satis diu tamen interfuit, ut ipsius in Congregationem amor — quem ipse « *validissimum perseverantiae clypeum* » aliquando proclamaverat (1) — omnibus sole manifestior fieret. Ipse vero tunc, — o admirandum hominem! — *nec ulli contra confratrem accusatorem iracundiae motui indulsit nec contra vocationem tentationem ullam sensit*, uti ipse postea declaravit. Omnes autem hunc vultum intuentes interiorum supernaturalem virum agnoscent, qui mediis in curis externisque actionibus occupatus in cordis habitaculum se recipere, ibique profunda in Deo requie frui noverat, dicere solitus: « *Exspectat anima mea orationis horam; in illa a cunctis curis et diei laboribus quiesco novasque vires colligo* » (2).

(1) *Anal.* VII, 19.

(2) Aliam Patris Kronenburg effigiem optimam habes *Analecta* VI (1937), 148, ubi quattuor paginas eius adamantino sacerdoti iubilaeo describendo dedicavimus.

Decem ultimos annos venerabilis senex Neomagi transegit, munere Praefecti Fratrum fungens, quorum remissionibus libenter intererat; in recreatione Patrum Ilaris, verborumque aculeos aculeis repensans; iuvenes Seminarii contigui, quos ad mortem usque praedilectione prosequabatur, in confessionali consilio et hortatione adiuvens; multum orans, necnon saepe visitans coemeterium, in quo nunc ipse requiescit, ultimum diem exspectans iuxta confratres, pro quibus vivus sudavit, laboravit, oravit.

Missam exsequialem cantavit Exc.mus Th. van Roosmalen, Vic. Ap. Guianae Hollandicae (Suriname); funeri praefuit Pl. R. P. Provinciali M. Mol.

L. VONCKEN